



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



19.

2. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO ET ELECT. SAX. HEREDE.
ETC. ETC. ETC.

DE
LEGIS NATVRAE
IMMVTABILITATE,

DISPVATIO PRIMA,

Qvam

Benevolo Sapientum examini submittit

PRAESES

M. IO. BERNARDVS LVHN,
Qvedlinburgo-Saxo.

RESPONDENTE

M. IO. POLYCARPO GOELNERO,
Wülfingeroda-Thuringo.

AD D. XVI. DECEMBR. cl3 13 ccll.

VITEMBERGAE,
PRELO GERDESIANO.

VIRIS

*Generosissimis, Maxime - Strenuis, Magnificis
longoque rerum civilium usu Excellentissimis*

DOMINIS,

DN. DAVIDIA STETTEN,

Inclytæ Reipublicæ Liberæ Augustanae
Septemviro longe Gravisimo, &c.

DN. PAVLO A STETTEN,

Vrbis Augustæ Quaestori, Aedili, Rei tor-
mentariae Præfecto & Scholarchæ Summe-
Merito, &c.

DN. IOHANNIA STETTEN,

Reipublicæ Aug. Senatori bene Merentissimo
& Iudicii Civilis Praefidi Gravisimo, &c.

*Dominis ac Patronis suis
submissee suspiciundis,*

Hoc quaecunqve munus chartaceum in gratæ
mentis tesseram

offert

PRAESES.



Q. D. B. V.

I.



Disputaturi de Legis Naturæ immutabilitate, rem sane aggredimur periculose plenam aetæ, quæ, ut in propatulo est, doctissimos quosque Moraliùm Doctores non hætenus solum exercuit, sed adhuc dum etiam plurimum exercet. Ut igitur a tam gravi & late patenti argumento facile deterreri potuissemus: maluimus tamen viæ, quam semel ingressi fueramus, ne ad avia deferremur, constanter insistere, & ejusmodi cuidam themati, quod indagatoribus suis usum haud spernendum promittit, meditationes nostras consecrare. Ante vero paucis nominum istorum, quæ inscriptio exhibet, evolutionem hic adornabimus, quam ad ad rem ipsam perveniamus, veramque sententiam,

A

tiam,

tiam, quam vindicare conabimur, proponimus.

II.

Lex derivatur juxta nonnullorum sententiam a ligando, quod lex ad obedientiam & poenam obliget, & Legislator subditos ita obstringat, ut agere cogat juxta id, quod sua lege constituit. Vid. Scholastici & præcipue Thomas I. secundæ q. 90. a. 1. p. 157. Alii deducunt legem a legendo seu eligendo, quod vel ex multis, quæ fieri possunt, consultatione & consensione, aliqua electa sit, quo Piccol. in Univ. Phil. de Moribus p. 493. inclinatur: vel, quod sententia justæ & Juris ibidem legatur, ut habet Cic. L. 2. de LL: vel, quod publice legenda sit, ut omnibus nota fiat & ab omnibus observetur. Confer. Moralistæ passim. Quæ lites quamvis aliis dirimendas jam relinquamus: posteriori tamen, si derivatio locum hic obtinet, sententiæ, cum Meisnero Tr. de Leg. p. 6 Olandr. Tr. de L. N. p. 7. Nic. Serario Disp. de Leg. p. 1. & aliis, libenter subscribimus.

III.

Juris nomen, quo Lex alias, & potissimum ab H. Grot. de J. B. & P. L. I. c. 1. §. IX. insigniri solet, a voce jussum, quæ a jubendo venit, derivatur, cum nihil sit aliud, quam quod vel natura, vel civitas, vel populus, vel consuetudo jubeat. vid. Meisnerus in Anthr. Disput. XXIV. §. VII. Interim non negandum est, quod antiqui ea, quæ nos jura appellamus, jura sive jussa appellare consueverint, jusque idem apud illos fuerit, ac quod lege quadam præcipitur. vid. Sex. Pompej. Festus de Verbor.

Verbor. signific. p. m. LXXXI. Qui vero jus a
 justo derivant, illi comprehendunt sub eodem
 omne id, quod justum & æquum est, & hanc ob
 causam apud Græcos vox *δικαιον* & jus, & justum
 denotat, juxta Gvilielmi Budæi Comment. L.
 Gr. ex Edit. Rob. Steph. p. m. 63. Cui asserto cal-
 culum adjicere videtur Ulpianus, dum jus a justi-
 tia appellari adserit, & justitiam adeo pro justo,
 abstractum pro concreto venditat. L. i. pr. ff de
 Justit. & Jure. Aliud prorsus etymon vocabulo
 huic statuit H. Grot. cujus mentem frater Gvi-
 lielmus de Princip. J. N. c. i. §. 2. ita exprimit:
 Jus, inquit, a Jovis nomine Latinis dictum, proba-
 biliter dici potest, quia Chrysippus & Stoici dice-
 bant, Juris originem non aliunde, quam ab Jove
 petendam. vid. ipse Hugo l. c. Prol. §. 12. A Græ-
 cis Lex nuncupatur *νόμος*, vel *ἀπό τῆς φύσεως* a tri-
 buendo, quod per eam tribuitur unicuique, quod
 suum est, vel a mente *νός* & *νός*, quatenus a di-
 vina mente haec ipsa prodiens, per humanam
 mentem in urbes manat & congruenter mens ur-
 bium audit. Apte hanc in rem Plato XII. de
 Legib. Legem, inquit, obtinere nomen simile no-
 mini Mentis; quem & Cicero procul dubio re-
 spexit, dum II. de LL. per certam rationem, a
 mente divina manantem, quæ recta svadeat pro-
 hibeatque contraria, eandem definit. Quam va-
 riæ autem vox Legis hinc atque inde insuper fir-
 matur, scire qui desiderat, illum ad Goclen. Lex.
 Phil. p. 641. Heereb. Melet. p. 186. seq. Ludovi-
 cum Molinam de Just. & Jure Tom. I. Integra
 disputatione, quæ agit de variis Legis Jurisque ac-
 ceptionibus, atque alios, qui in Jus Naturæ spar-
 sim etiam commentati sunt, scriptores celeberr-
 mos remittimus.

IV.

Diversas non minus significationes ipsamet induit Naturæ vox. Modo enim dicitur natura universalis, quæ nihil aliud, quam series & ordo est communium causarum, quarum singulae sua quasi statuta ac leges in rerum naturalium productione observant, monstrosique pariter ac perfecti discrimen luculenter indicant. Modo pro affectibus a natura insitis, qui sine vitio sunt, capitur, v. g. pro instinctu procreandæ sobolis : vel etiam pro vitiosis, ut cum dicitur : naturalem esse hominum ad dissentendum facilitatem, L. item si unus, 17. §. principaliter 6. ff. de rec. arbitr. Non desunt, qui primam causam & naturam naturantem per naturam insinuant. Audiamus hic Senecam, qui hoc super negotio mentem suam interrogando haud obscure manifestat, cum, quid aliud, inquit, est natura, quam DEVS? Lib. IV. cap. VII. de Benefic. item L. II. Qu. Nat. cap. 45. Aliis pro natura venit particulari, eademque humana, quo Ovid. L. I. Metamorph. collimat, quando ita canit : Hanc DEVS & melior litem natura diremit. Non paucos insuper reperias, qui omne id, quod ad justum debitumque naturæ complementum facit, & ab ipsa origine & exitu per causam naturalem rei inest, voce hac lectori suo suppeditant. Vid. B. Donat. Metaph. p. 24. Gvilielm. Grot. l. c. p. 4. Rudrauf. Phil. Theol. p. 419. seqq. Nos in præsens per naturam intelligimus partim Naturam naturantem, adeoque ipsum Numen divinum, ut causam efficientem : partim Naturam naturatam, eamque non universalem, sed particularem, humanam puta, tanquam

sub-

subiectum, quia Lex Naturae est in humana natura & ab ipsa generatione ei indita. Naturalis itaque haec lex audit & originis, & inhaesionis, & propagationis, & manifestationis intuitu, usurpaturque pro regula, naturae humanae ad ejus actus dirigendos, a Numine concessa. Confer. Excellentissimi Domini Röhrensee Prudent. Moral. p. 216.

V.

Vtrum vero detur ejusmodi lex naturalis, illud, nescio ex quo altercandi pruritu, non nostris solum temporibus in controversiam venit, verum etiam jam tum olim, & multis quidem ab hinc seculis, eruditorum dissertationi fuit subiectum. Vt enim Scepticos, Cynicosque ac Cyrenaicos universos, qui omnia plane in dubium quondam vocarunt, praetermittamus, solummodo ad Carneadem, Archelaum, Pyrrhonem, Aristippum, Theodorum & Diagoram Melium, quorum vestigiis Hobbefius insistens priori seculo idem ferme crepuit, hic provocamus. Vid. Diog. Laert. ex edit. Henric. Steph. Lib. II. in Archel. p. m. 99. in Aristip. p. 149. 152. Lib. IX. in Pyrrh. p. 695. Cic. l. 1. de N. D. c. XXIII. & Lib. III. c. XXXVII. Vossius de Sect. Phil. c. XVIII. XX. Arnaldus in arte cogitandi Dissertat. Proem. 1. Martinus Schoockius de Scept. Ejusdem hujus Helenae basiatores Thomam Anglum & Helmontium cum Petro Gassendo quoque fuisse, Mauricius in Specim. Princ. Jur. Publ. c. 4. §. 14. & 15. affirmat. Qui itinera suscipiunt & cum eruditis coram data occasione super ardua hac quaestione communicant,

cant, facile intelligunt, multorum animos venenum hoc tam large imbibisse, ut eos totos occupet. Quod & proh! quandoque si non ex publicis rostris, at certe privatos inter parietes incautis non sine summo conscientiae discrimine, circumspecte satis, sed sincere minus propinant. Magnus quidem ille Moraliū Doctor Grotius in Proleg. de J. B. & P. §. II. statuere videtur, locum aliquem habitura fuisse, quae lege naturali praecipuntur aut vetantur, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse DEVM, aut non curari ab eo negotia humana: dubitamus tamen valde, quin huic opinioni calculus foret addendus. Nam lex supponit legislatorem, qui hic praeter Deum fingi potest nemo, & ipsa Legis naturae praecepta nihil aliud sunt, quam expressiones quaedam divinae imaginis, homini effuse satis donatae. Ad Legis igitur Naturalis existentiam & notitiam, Numinis quoque existentia omnino praerequiritur. Nos in amplissimum hunc differendi campum minime hic exspatiabimur, nec vexatissimas has controversias disceptare allaborabimus, quin potius certas eas & omni dubio solutas praesupponemus. Videfis Lactant. Divin. Institut. L. V. c. 16. H. Grot. Prol. de J. B. & P. Gvilielm. Grot. l. c. p. 5. seqq. Bucherum de L. N. §. 3. Scharrokium de Offic. Homin. sec. J. N. c. 2. n. 5. p. 91. Philos. Burgund. Tom. I. p. 716. seqq.

VI.

Proximum est, ut exponamus, quid per Legem naturae nos jam hic intellectum velimus.

Con.

Constat equidem apud omnes, nullum pene librum de J. N. conscriptum inveniri, qui non aliam atque aliam ejus definitionem inculcet. Grotii ista, qua l. c. c. 1. §. 10. J. N. per dictatum rectae rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia & disconvenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore naturae DEO talem actum aut vetari, aut praecipere; delineat, plurimorum calculum dudum promeruit. Alii interim, & in primis J. A. Oslander in observationibus suis p. 175. seqq. non pauca obelo digna in hac eadem definitione occurrere existimat, quae & ibidem fufe satis perstringit, & dilucidior ac veritati conformior, ut l. c. p. 203. seipse explicat, in medium producit. L. N. inquit, est regula quaedam firmiter homini infixata, quae & indicat, quid justum ex se & injustum, & ad prius sectandum, posterius evitandum obligat. Nos Praeceptorem de nobis meritissimum secuti, eam describimus per legem divinam menti humanae naturaliter insitam, suggerentem principia practica, quibus actus honestus praecipitur, turpis vetatur. vid. l. c. p. 221. seqq. Quae descriptio cum laudato loco omni sua ex parte accurate satis enodata sit, non actum agere, sed in praesentia B. L. eo remittere maluimus.

VII.

His rite suppositis, pedem nunc promovemus ad Legis hujus Naturae attributum, quod huic dissertationi consecravimus, IMMUTABILITATEM

TEM scilicet, visuri, utrum illa asseri, & asserta rationibus, iisque non infirmioribus, sed quae ad-
versariorum tela, acutissima licet, fortiter eludant,
defendi queat. Ut vero propositum hoc no-
strum eo felicius procedat, nec ambiguitate vo-
cum ulla detineatur atque implicetur, varia va-
riationis & mutabilitatis genera, ea qua fieri po-
terit brevitate, investigabimus.

VIII.

Mutatio, juxta plurimorum sententiam,
potest legi contingere vel per abrogationem, vel
per derogationem, vel per dispensationem, vel
per irritationem, vel per deletionem, vel per in-
terpretationem, vel per additionem. Abrogatio
est actus, quo Legislator efficit, ut id, quod lex
erat, simpliciter lex esse desinat, nec quenquam
amplius obliget. Et haec quidem dupliciter su-
mi solet. 1. In strictiori significato, pro illo nem-
pe actu, quo Legislator legi, alias obligaturae, au-
toritatem suam detrahit, ita, ut legem penitus abo-
leat, quam ipsam abrogationem proprie sic dictam
esse non pauci pronunciant. 2. In largiori sen-
su, prout abrogari dicitur lex, quando materia
circa quam, seu objectum ejus mutatur, ita, ut acti-
ones, circa quas lex occupata fuerat, desinant esse
in potestate nostra & juberi amplius aut prohibe-
ri cum effectu nequeant: vel si objectum ipsum ita
immutetur, ut absque alius legis magis obligantis
violatione lex observari non possit. Sed hanc
forte cessationem potius, quam abrogationem
quan-

quandam nuncuparemus. Derogatio, alias diminutio, est actus, quo legislator efficit, ut lex ejusque obligatio ex parte tollatur, ex parte vero remaneat. Atque ita differt derogatio ab abrogatione non aliter, quam quod per istam legis obligatio in tantum; per hanc in totum aboleatur. Dispensatio, quam Zieglerus, brevissime quidem, sed nervose satis, per relaxationem legis, publica auctoritate factam, in suo de Jurib. Maj. Traët. L. 1. c. 7. §. 2. exprimit; est actus, quo in aliquo casu, quo revera viget & obligat lex, ejus obligatio ab aliquo subiecto tollitur, reliquis manentibus obligatis. Irritatio est abolitio legis quoad se, quae vel per consuetudinem contrariam, vel per legem adversam a superiori latam, tacite quasi suscipitur. Et quemadmodum porro deletio est legis e memoria hominum extirpatione: ita interpretatio, seu declaratio, idem est ac significatio, qua explicatur, legem in certo quodam casu nullam sub se obligandi vim habere. Additio tandem dicitur subrogatio cujusquam saltem novi, quod legi superadditur, vel per modum partis, vel qualiscunque accessorii, lege antiqua integra manente.

IX.

Quod ad praesens attinet negotium, non equidem imus inficias, mutationem, quae fit per interpretationem atque additionem, salvo L. N. immutabilitatis jure, concedi posse. Nam licet per leges positivas Naturali praesior quaedam determinatio accedat: per illam tamen obligationi L. N. nihil decedit, sed specialiores tantummodo

B 2

conclu-

conclusiones ex ea deducuntur, quae minime inferant veram mutationem. Ita dum declaratur, & hoc illudve juris naturalis non esse, aut in dato exemplo non obligare naturaliter, sententia modo eruitur in casu quodam, qui sub legis naturalis obligatione non continetur, sed lex ipsa non mutatur. Nec tandem per primorum Parentum lapsum Lex Naturae ita est abolita & deleta, ut ne scintillulae quidem ejus remanserint, conscientias hominum accusantes subinde & excusantes. Perit perfecta ejus notitia, sed honesti & turpis reliquiae supersunt eademque obligationi sufficiunt.

X.

Atque ita cuius facile patet, rem nobis in praesens esse de irritatione, deletione, dispensatione, derogatione denique & abrogatione, utrum scilicet jus Naturae hujus generis mutationibus sit subiectum, an vero minus? Prius rejicimus, posterius affirmamus.

XI.

Monet insuper Excellentissimus Dominus Röhrensee l. c. Part. III. de Norma A.M. c. II. §. XX. illud non esse praetermittendum, quod mutatio legis naturae intelligi possit vel ex parte Legislatoris, ut ipse legem mutet vel revocet: vel ex parte eorum, qui legi sunt subiecti, ut si v. g. tota civitas destrueretur ac esse desineret, destrueretur simul lex civilis eidem lata &c: Vel ex parte objecti, ac

scili-

scilicet honesti & turpis, intrinsecus talis. Praeterea probe observandum esse, quod supponenda hic sit lex naturae quoad omnia sua praecepta, prout complete ac integre a ratione dicuntur, non prout incomplete ac paucis verbis vulgo proferri aut scribi soleant. Priori enim modo non absolute praecipere in tali vel tali materia, sed subintellectis debitis circumstantiis, occasione aliisque requisitis, & sic mutationem L. N. non recipere. Posteriori enim modo, ubi generaliter per absoluta verba & indefinita proferantur, quin exceptionem patiantur, dubium non esse.

XII.

Ordo postulat, ut ad IMMUTABILITATEM ipsam nunc accedamus, quae nihil aliud est, quam invariabilitas L. N. ratione obligationis suae; aut si mavis: IMMUTABILITAS est obligatio perpetua legis naturae. Quae descriptio licet sit brevissima: continere tamen omne illud, quod hoc in argumento desiderari possit, opinamur. Dum enim dicimus obligationem, generaliore quendam conceptum tradimus, qui non tantum Juri Divino necessario seu naturali competit, verum etiam arbitrario sive positivo, eique tum universali, quod se ad universum genus humanum extendit, tum particulari, quod certo cuidam populo tantum statutum fuit. Quin imo humano, quo Potestas humana subditorum actus in usum societatis determinat. Tolle enim obligationem a quacunque lege, & ipsa quasi Lex irrita esto, cum freno ita quasi destituatur, quo subjecti in officio

continentur. Vox autem perpetua insinuat, quam longe obligatio Legis Naturalis a coeterarum obligatione abeat. Abit hoc modo (1) a Legis Divinae universalis obligatione. Ambabus equidem, quod dicitur, manibus largimur, ratione hominum ipsi perpetuitatem obligationis competere. Homini quippe, cujus velut arbitrio lex haec minime subjecta est, circa ipsam quicquam relaxandi, nulla competit facultas. Vbi enim ejusmodi quid tentaverit, falcem miserit in alienam messem, nec ab audaciae aut petulantiae crimine immunis fuerit. Quid? quod ista lex per se esse non desinat, siquidem ad certum temporis spatium, quo praeterlapso obligationis munere excideret, neutiquam restricta est. Ac licet non temere praesumendum sit, DEVM universalis hujus Legis obligationem aliquando tollere: Interim tamen pernegare non licet, Eum legem hanc quando & quomodo ipsi visum est, relaxare posse, & non raro relaxasse, quemadmodum ex sacrae Scripturae oraculis subinde dispalescit. Ad haec itaque semper recurrendum est, ne in vasto hoc controversiarum oceano oberrantes ad periculi plenos scopulos allidamus conscientiaeque naufragium faciamus. Constaret ita nobis Legis universalis quidem perpetuitas, sed respectiva, minime vero absoluta, quae Legi naturae est propria. Abit (2) a legis divinae particularis obligatione. Haec enim ista est, quam certo populo, ad certum tempus, certis sub rationibus, rogatam esse, communiter docent, simulac saluberrime inculcantes, quod his in aliam speciem immutatis, ipsa haec divina lex particularis evanescat & obligatione

gatione omni prorsus destituatur. Abit (3) ab humanae legis obligatione. Id quod nemo facile ibit inficias, qui in memoriam sibi revocat, primos legum conditores juxta Piccolom. l. c. p. m. 495. rudiores fuisse, legesque formasse inchoatas & rudes, quae non secus atque artes, secundum Platonem in libro de Regno, progressu temporum postrema perfectione fuerunt donandae, id quod sine mutatione fieri non potest. Accedit, quod leges tam imperiis, quam his, quae eveniunt, aptandae sint. Et cum varietati ejusmodi cuncta sint obnoxia, jure optimo etiam leges, quae circa ista versantur, mutationem patiuntur. Plura ne addamus, per ipsam praxin & experientiam, omnium veluti rerum optimam magistram, minaciter prohibemur. Caute interim circa ejusmodi mutationem semper procedendum esse summopere videtur, ne frequentiori mutatione vis legis exulet, & exigua utilitas, inde quae consurgit, consuetudinem non parendi introducat.

XIII.

Illud praetermitti non debet, quod in descriptione superiori virtute includatur cum subjecto & objecto seu fundamento efficiens causa, quorum intuitu immutabilitas legis salva manet atque illibata. Objectum latet in voce perpetua, qua notantur honesta & turpia in se. Haec enim nomen perpetuitatis vel inde optimo jure merentur, quod semper, ut loqui consueverunt nonnulli, & pro semper, positus scilicet omnibus, quae hic requiruntur, circum-

circumstantiis, aut facienda sunt, aut fugienda. Sub-
jectum, sive homines, ipsa obligationis notio de-
terminat, quia nullum aliud animal, praeter ra-
tionis usu praeditum, ista obstringi potest, ita ta-
men, ut hominibus hanc obligationem immutare
aut excutere integrum non sit. Causam efficien-
tem DEVM esse, de eo nullus, qui ad termi-
num obligationis rite attendit, omnino ambiget,
cum obligatio non nisi eum praesupponat, qui
tanta auctoritate praeditus sit & virtute, ut alios
ad certum quid valeat adstringere. Ad DEVM
vero hic & non alium unice recurrendum esse,
apud omnes esse in confesso putamus, ita tamen,
ut mutabilitas hujus legis, seu $\tau\theta$ mutare hanc
legem, in ipsum neutiquam cadat.

XIV.

Paucis in medium haecenus allatis plura, ut
speramus, in posterum superaddemus, eaque
omnia, quae LEGI NATURAE IMMUTABILITATEM
vindican, partite, defini-
te ac distincte, DEO bene juvante, explicabi-
mus. Atque ut idem ordine procedat, sponte
affirmamus: Legem Naturae & ratione DEI
Legislatoris, & ratione sui, & ratione homi-
num eadem obligatorum, prorsus esse
immutabilem.

TANTVM!

circumstantiis, aut facienda sunt, aut fugienda. Sub-
jectum, sive homines, ipsa obligationis notio de-
terminat, quia nullum aliud animal, praeter ra-
tionis usu praeditum, ista obstringi potest, ita ta-
men, ut hominibus hanc obligationem immutare
aut excutere integrum non sit. Causam efficien-
tem DEVM esse, de eo nullus, qui ad termi-
num obligationis rite attendit, omnino ambiget,
cum obligatio nonnisi eum praesupponat, qui
tanta auctoritate praeditus sit & virtute, ut alios
ad certum quid valeat adstringere. Ad DEVM
vero hic & non alium unice recurrendum esse,
apud omnes esse in confessio putamus, ita tamen,
ut mutabilitas hujus legis, seu τὸ mutare hanc
legem, in ipsum nequiquam cadat.

XIV.

Paucis in medium haecenus allatis plura, ut
speramus, in posterum superaddemus, eaque
omnia, quae LEGI NATVRAE IMM-
TABILITATEM vindicant, partite, defi-
nite ac distincte, DEO bene juvante, explicabi-
mus. Atque ut idem ordine procedat, sponte
affirmamus: Legem Naturae & ratione DEI
Legislatoris, & ratione sui, & ratione homi-
num eadem obligatorum, prorsus esse
immutabilem.

TANTVM!